

AB

180874









DISPUTATIO
DE PRÆCIPVIS LO-

GICÆ ARISTOTELEÆ PARTI-
BVS, QVAS ORATOR QUIDAM
Parisiensis Scholis suis in-
sectatus est:

Quam,

DEO TRINVNO AVSPICE:
PRO ARISTOTELE

Sub Præsidio
M. DANIELIS CRAMERI RETZENSIS
Neomarchici,

*In Illustrissima Vitebergensium Aca-
demia defendet*

OLIGERVS ROSENCRANTZ, GEORGII
F. Nobilis Danus.

*Erit Disputatio ad diem 12. Ianuarij, in Auditorio maiori Collegij
noui, hora VII. matutina.*



o. Lp.
VITEBERGAE,

Excusa typis M. Simonis Gronenbergij.
c13. 13. XCIII.

M-s. 168
W#
308

DEUTSCHE BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)
UNIVERSITÄT UND LANDESBIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT



AB 180 874

75



VIRIS CLARISSIMIS,

doctrina & vsu excellentis.

ANDRÆ CHRISTIERNI Ripensi;

ANDRÆ CHRISTIERNI Kragio,

THOMÆ FINKIO Flensburgensi;

IN ACADEMIA REGIA HAFNIEN-

si Medicis Doctoribus, Professoribus, Amicis

suis candidis & optimis,

Salutem mittit

Oligerus *Georgij filius* RosenCrantz.

NON admonitos facile vos scio, Viri clarissimi, causas vobiscum coniecturos, cur hæc ad vos, (noctuas licet Athenas) exercitia philosophica transmittam, ad vos, inquam, quibus cum non tam dudum de his iisdem rebus, hoc est, de controuersijs inter Gal- lum quendam Oratorem, non adeò ignotum, & Philosophiæ principem Aristotelem, (ipsam poti- us veritatem, contra quam calcitrare non erube- scit) colloquio iucundissimo, à viro Reuerendis- simo P E T R O V V I N S T R Y P I O, Doctore Theolo- go, Selandiæ Superintendente, conuiuio excepti, integrum fermè diem consumpsi, dum alternis col- lationibus de rebus doctissimis communicantes, haud pauca de eiusdem Galli $\alpha\delta\beta\epsilon\zeta\eta\theta\iota\kappa\lambda\mu\nu\pi\rho\sigma\tau\upsilon\phi\chi\psi\omega\pi\rho\sigma\tau\upsilon\phi\chi\psi\omega$ alla- ta sunt. Aderant tum temporis, qui vel aliàs pub- licis scriptis hunc de quo dico, Oratorè, defende-

A 2

re non

re non grauari sunt; Sed & ij huic nostro collo-
quio intererant, qui iam dudū Philosophum, ARIS-
TOTELEM dico, facile eo quo præstabant acumine
ingenij ab obiectis mordicantium quisquilijs li-
berarunt. Mihi verò, qui his studijs à prima ætate
summè delectatus, nihil vestra conuersatione con-
tigisset iucundius, si modò manendi apud vos
magnam voluptatem, discedendi summa necessi-
tas non vicisset, quæ me nolentem volentem vo-
bis surripuit, quibus cum aliquandiu viuere mihi
vita erat verè vita. Quare rediens nunc ad pristi-
na studia & exercitia scholastica, quæ otium hoc
liberale, in quo nunc viuo, subministrat, vestram
esse aliquam eorum partem volui vt debui, *συζητή-
σις* quippe hanc de quibusdam Oratoris istius in
Aristotelem animaduersionibus, vt quod nō exi-
guam eorundē partem mecum, præsentē M. Da-
niele Cramero *ἀγώγῃ* meo, sub cuius præsidio *συζη-
τήσις* hæc instituta est, examinaueritis. Ad vos igi-
tur hanc venientē signū absentis præsentis animi
accipite; & (si quod accesserit insulsum inertis
vulgi iudiciū) pro vestro more & amore vindica-
te, feliciq; ac fausto nouo huius anni auspicio diu
salui viuite, valete, & me, vt amatis, amate. Sa-
lutat vos M. Daniel officiosissimè. V Vitebergæ
7. Ianuarij, anni 1593.

Inest



Nescit hominibus Nativa quadam vis & Facultas, ratione
 utendi, discurrendi, unumquodque ex alio inducendi, qua
 omnibus seculis non tantum Philosophi, sed & Idiota in
 communi vita usi sunt, et sine arte fecerunt, quod Artis pra-
 ceptis continetur, lib. 1. c. 11. Soph. Elench. In qua Naturali Logica
 cum contingeret saepe in deuium abripi: Philosophi iam ante in Ma-
 thesi variisque scientiis culti, discursus hosce naturales accurata mente
 contemplati sunt, & διὰ τὴν ἁμπερίαν (qua gignit Artes & scien-
 tias, l. 1. Metaph. c. 1. l. 2. Poster. c. vlt. τῶν πρᾶξε, seu modos horum dis-
 cursuum diligenter collegerunt & conscripserunt, quibus postea men-
 tes hominum adiuta dexterius & certius facerent id ἐν τέχνῳ
 cum Arte, quod antehac ἀτέχνῳ, sine Arte, fecerunt, 1. Metaph. c.
 5. Ars enim & Disciplina implet id, quod deest natura. l. 7. Polit.
 c. vlt.

II.

Initio autem hac τῶν πρᾶξε collectio perfecta non fuit, sed suc-
 cessiuè inuenta, & quantum constat Socrates doctrinā definiendi obser-
 uauit l. 1. Metaph. c. 6. l. 13. Metaph. c. 4. l. 1. c. 1. de part. Anim.
 Rationem diuidendi Plato, in Sophista circa fin. Modum vero Ratio-
 cinationis Syllogistica sic sibi, l. vlt. c. vlt. Soph. Elench. tribuit Aristo-
 teles, ut nihil huius à veteribus accepisse affirmet: qua ergo confuse
 inuenta erant, explicauit: qua imperfecta, perfecit: qua disiecta collegit,
 auxit, optimo Ordine disposuit, & Somatopæcticè in unum Opus, pri-
 mus redegit.

III.

Opus illud Organon appellat, quod & cōuenienter χεῖρ τῆς φιλοσοφίας
 & Instrumentum Instrumentorum dicitur, quippe quod sicuti Manus.
 l. 3. c. de Anim. Et l. 4. c. 10. de part. Animal. Instrumentum In-
 strumentorum est, quo reliqua particularia Instrumenta fabricari &
 confici queant: sic Logica communissimum Instrumentum sit, quo reli-
 qua Scientia (qua & ipsa mentis Instrumenta sunt, Probl. 4. Sect.
 30. inueniri, confici & regi possint.

Pro hoc tam illustri Opere duo sibi Aristoteles reddi petit, pro
 omissis quidem συγνώμῳ, pro inuentis vero ποδῶν χάρις, Soph.
 Elen. in fin. que ipsi etiam debita cum veneratione semper sana po-
 steritas reddidit. Extitit tamen nostro seculo in Gallia quidam Acade-
 mia Parisiensis Professor, quem quidam secuti sunt, qui non tantum
 Gratiam & Veniam ei non retulerunt, sed & licet παραλεληθμῆναι
 omissa nulla adhuc probauerint, magno conatu magnam caldem (cum
 ceteris scriptis Aristotelicis) huic Operi intentarunt, ut in quo multa
 falsa, multa aliena & impropria, multa confusa, superflua & repu-
 gnantia esse proclamarent: quo nomine plurimum referre videtur,
 si omnes ingenui φιλομαθητικοὶ nobiscum liberam de his ea in re com-
 missis disquisitionem, deposito tamen omni ἐν τῶν παθῶν præiudicio,
 instituant, ut tandem ubi discentium mens nostra figenda sit, fiat ma-
 nifestum.

~~Plenariam autē Organī Logici seu Logica Essentiam & Naturam
 non tantum in Præceptis, sed & in Qualitate huiusmodi, menti ac-
 quisita consistere statuendum est, quo nomine Habitus dici merebitur,
 & quidem Intellectualis, non tamen Intellectualis Realis, quorum
 tantum sunt quinque numero, Eth. Nicom. l. 6. c. 3. Eudem. l. 5. c.
 3. Mag. Moral. l. 1. c. vlt. Sed instrumentalis habitus, cuius im-
 plicitè in definitione Scientiæ, (quæ per demonstrationem definitur)
 facta sit mentio: ut hinc in definiendâ Logicâ, Genus rectissimè
 per Habitum Instrumentalem assignetur, non autem per Artem, vel
 Scientiam, utpote quod neutrius genuina definitio Logica congruat.~~

Vulgari autem modo Scientiam, ut & Artem, prout Ars Stoicis
 per Systema certarum propositionum exercitatione comparatarum ad
 finem in vita utilem describitur, Logicam quodammodo Artem dici
 posse non diffitemur, sed Artis illam definitionem genuinam esse
 omnino

omnino negamus, siquidem ea latius pateat ipso definito, & non tantum Arti, sed et Scientie competat, verumq; Artis finem, qui est ποιητικὸς seu γενετικὸς, à fine Scientie qui θεωρητικὸς est, non distingnat, cum nemo non videat, quòd sicut τὸ ποιητικὸν & τὸ θεωρητικὸν disparata sint, sic necessario quoq; disparatos esse debere habitus illos, quorū hic ἐν τῷ ποιητικῷ, ille ἐν τῷ θεωρητικῷ Esse suum formale habeat.

VII.

Et hinc plene & verè Logica definitur: Habitus instrumentalis verum à falso discernendi: Sed hæc lis Ramistis cum Peripateticis inter se communis est.

VIII.

Quandoquidem autem Scientie secanda sint, quemadmodum res de quibus sunt: Res verò Logices de quibus, seu subiectum Logices sint νοήματα prima secundis substrata, cum secunda notata, prout prima respiciunt, dupliciter se habeant, vel ut Communia seu pura, prout ad quamvis Propositionem aptari possint, vel ut propria & mixta, prout speciali modo necessarijs, probabilibus & falsis materijs immersa considerentur, fiet hinc, ut Logica rectè in Communem et Propriam partem secetur, quarum illa tribus Aristotelicis libris Categoriarum Ἐπιπέρας & Analyticorum priorum absoluitur, hæc verò tribus tractatibus sequentibus.

IX.

Nec est illa Diuisio Logica, quam ex veteribus quibusdam Oratoribus afferunt in Inventionem & Iudiciam, melior, sed pluribus modis imperfecta: Primò enim abutuntur vocabulo Iudicij, quod cum propriè sit de facto iam Syllogismo, bonisve malisve sit, tam ratione formæ, quam materiæ pronunciare, ἢ Iudicium tantum ad formam contrahunt, ipsamq; Syllogismorum γένεσιν (quæ in terminis ritè disponendis occupatur) contra omnem vocabuli & rei naturam cum γενεσὶς Iudicio confundunt, cum toto celo distet, Syllogismum secundum formam gignere seu disponere, & genitum etiam secundum formam nedum secundum materiam iudicare, ut una definitione nequaquam hæc duo (quod illi faciunt) confun-

di

ei debeant. Eodem modo & Inuentio propriè loquendo duobus modis
considerari potest, tam pro inuentione materia, quàm pro inuentione
forma, qua hac tamen ad γένεσις spectat, ut de ea c. 19. Anal. prior.
docebitur.

X.

Hinc elucet, quòd sicut Inuentio forma, in γένεσις (quam illi simul
Iudicium vocant) coincidat, sic quoq; vice versa Iudicium materiae in
Inuentionem coincidere, & totaliter se per Inuentionem disseminare.
Quis enim absq; Iudicio potest Locos pertransire? quis nisi inter inue-
niendum Materiam ipsam iudicet, aptam sibi depromere poterit, nisi
Chaos inde & quiduis pro quouis velit eruere? ut ita, licet duas tan-
tùm partes nominent, reuerà tamen ad minimùm tres faciant, 1. Inuen-
tionem materiae. 2. Structuram formae Syllogisticorum. Tertio, Iudicium
formam materiae imprimēs, easq; iudicans: ut sit, 1. qui inueniat argil-
lam. 2. qui apparet Modulos seu formas. 3. qui Argilla formam im-
primat, & utrumq; iudicet.

XI.

Sed esto, demus eis, Vocabula Inuentionis & Iudicij contra na-
turaliam suam generalitatem strictiùs sumi posse, illud pro ratione exqui-
rendi Argumenta seu terminos, hoc pro dispositione argumentorum
ad benè iudicandum: eueniet, ut diuisio illa ad totum opus Logicum
aptari non queat, cum strictior sit, & unicum saltem usum Argumen-
tationis in actu posita respiciat, simpliciumq; terminorum, de quibus
in prædicamentis agendum est, explicationem orittat, imò totam
Logica partem communem, qua extra omnem συμπλοκήν materiae
est, vel prætereat, vel præposterè cum Materia confundat. Et hac se-
cunda imperfectio est huius diuisionis.

XII.

Prætereà si demus, sub Iudicio γένεσις formae Syllogisticae con-
sineri, tunc non necessario Inuentio prior erit, quàm Iudicium: Nam
licet Argumentatione in actu V S V S posita, materia argumenti prius
inueniatur, quàm ad concludendum aptetur, non tamen ob id necesse
est, ordine doctrinae antè sciri, qua ratione inueniri possint argumen-
ta, quàm quomodo formae apparanda sint, & quomodo ea se habere de-
beant

beant, in quas argumenta suo tempore recurrere possunt, inveniunt, immo
prius necesse est ante constare de formis Argumentatoris, materia
inducendis, quam de Materia, qua formari debeat.

XIII.

Vulgari id exemplo declarabo: Licet in structura laterum Ar-
gilla prius effodi debeat, quam lateres figurentur: tamen aequè necesse
est etiam ante habere Modulos seu formas laterum argilla imprimen-
das, quam Materia inuenta seu effossa formetur: Vnde Argilla qui-
dem prior est quam Argilla formata, sed Ordine non prior quam ipsa
forma argillam formantes. Quod cum non obseruetur, tertio modo
Diuisio supra dicta imperfecta est.

XIIII.

Ex his omnibus colligi potest, nos Diuisionem hanc ἀπλῶς non re-
ijcere, sed concedere veram eam esse in VSV Logices, h. e. cū iam Tyro
Logicus omnia ea, quae in Logica ad cognitionem Materiae & formae
faciunt, perfectè didicerit, iamq; ea praecepta in vsum Arguendi
in quacung; disciplina referre voluerit: tunc necesse esse prius eam
colligere Materiam, & postea eandem secundum praescripta Logica
formare: Quod autem ideo hac Diuisio toti Logicae ratione Essentia
suae internae rectè congruat, illud negamus.

XV.

Subiectum Logica commune cum Metaphysico habebit νοήματα
nempe prima, sed non eodem modo: Metaphysicus enim Entia seu
Noēmata prima obtinet quatenus talia, Logica verò quatenus ei En-
tia Rationis, siue νοήματα νοημάτων seu secunda notiones & intentio-
nes imprimi possunt: siue, breuiter dicendo, Metaphysicus prima Noë-
mata tractat πρῶτως, primo: Logica ἐπομῶς, secundario, primo au-
tem secunda Noēmata. Quicquid ergo Logica primarum Notionum
in Praedicamentis possidere videbitur, id non κτήσθαι, sed ἔχειν re-
nebit.

XVI.

Ineptum ergo est, quod illi dicant, Ens & non Ens subiectum Lo-
gica: cum neq; Ens, quatenus Ens Logices subiectum vere & primò

B

dici

i queat, (nisi quis Logicem in Metaphysicam conuertat) sed Ens, quatenus sibi Noëmata secunda imprimuntur: nequaquam autem non Ens, utpote Chimera & huiusmodi fictitia, cum ea nec Noëmata prima faciant, nec ob id ullam secundorum impressionem admittant, siquidem secunda Noëmata nulla sint primis non existentibus. Quod autem ideo, quia falsa sint non Entia, in quorum refutatione sæpe Logica versetur, non Ens subiectum Logices faciendum sit, non sequitur: Cum enim non Ens ex Relatione ad Ens, falsum ex Relatione ad verum dicatur, et Logicus Sophistas circa non Entia ut Entia versantes tantum refellat, non Entia probando non esse Entia: circa ipsa Entia versabitur, ut non Entia ab ijs remoueat. At si quis Logice rationis usus est in Poeta vel Oratore quodam, agente de fabula vel aliquo non Ente, tum Logicus non ipsum non Ens logicè considerat, sed ipsum Poëma & Orationem, & deductionem unius ex alio, tanquam de rebus verè existentibus, que nemo sanus non Entia dixerit, tractat. Fabulosum igitur est, quod subiectum Logices dicant Ens & non Ens.

XVII.

Finis, ut ex definitione patet, est verum à falso distinguere, ut, sicut serra ad ferrendum facta sit, sic Logica ad Verum à Falso discriminandum, ut, siue ea ferrat, siue non ferrat actu, nihilominus Serra dicatur; sic licet Logica actu, verum à falso non distinguat: nihilominus tamen Logica dici queat, ne absolum sit. Finem Logices statuere Veritatem, que tamen semper ab hoc vel illo Logico non obtineatur, cum in reliquis quoque artibus accidat, finem non semper obtineri, ut Piscator, Venator, licet non semper feras vel pisces consequatur, ob id Piscator vel Venator esse desinat.

XVIII.

Atque ut officium Piscatoris est piscari, sic Logices officium est benè differere siue λογίζεσθαι, h. e. prestare omnia ea, que in præceptis totius operis Logici exhibentur & præcipiuntur, que duo cum nec vnum sint, nec inter se confusa, sed differant ut Terminus & Itio ad Terminum, malè ab illis pro vno & eodem habentur.

Cum

XIX.

Cum autem hoc officium, quod est bene differere, fiat Syllogismo, ut proximo Animæ discurrentis instrumento, Syllogismus verò ex propositionibus, Propositiones ex Prædicato & Subiecto, tanquam ex Elementis simplicibus, consistant; ideoq; ad officium rectè differendi præstandum, à Simplicium terminorum, quæ prædicata & Subiecta constituent, tractatione inchoandum est.

XX.

Simplicia ea per decem Aristotelis Categorias pertractantur, ubi omnium rerum in tota naturæ universitate (quibus Logica instrumentaliter servire deputata est) Liber proponitur, quo tanquam in certas classes referantur res omnes, prout primo aspectu menti obijciuntur, ut ex intuitu hoc generico vis & affectio earundem subiectiva & prædicativa in Propositionibus, quas ingressura sunt, euidenter concipi & apprehendi queat, alias nec ulla Enunciatio, nec ulla definitio, nec ulla diuisio, nedum Syllogismus artificialiter componi poterit.

XXI.

Queraris enim quid de Planta dici, & de quo, Planta dici queat? quid sit Planta? An, & quomodo diuidi possit? An uiuat, an non? ad nulla responsum dare poteris, nisi Categoriæ eius plantæ habeas cognitionem, eamq; ad genus summum Substantiæ reducendam didiceris, quod dum percurras, ad omnes has quæstiones Logicè propositas, Logicè tandem respondebis.

XXII.

Neque est, quod, dum hæc tractamus, insimulemur ullius vitij $\epsilon\tau\epsilon\gamma\omicron\upsilon\epsilon\upsilon\epsilon\iota\alpha\varsigma$, ac si aliena, & ea quæ alibi tractentur in suis Artibus & Scientiis, aut quæ Metaphysicus tractet, huc peruersè reducamus, cum Logicus ea non consideret $\epsilon\tau\epsilon\omicron\upsilon\tau\alpha$, sed tantum Categoriæ $\chi\epsilon\omicron\upsilon\mu$, seu quam habilitatem & aptitudinem prædicandi & subijciendi ad se mutuò habeant, ut dictum est, indaget, unde hæc Prædicamenta ei summa Genera, non verò summa rerum Entia, ut Metaphysico, dicuntur.

XXIII.

Ut exempli gratia: Cum Logicus in Prædicamento Quantitatis de Numero tractat, Arithmeticus non est, quandoquidem non hoc agat Logicus, ut Numeri affectionem, Compositiones, Diuisiones, Numerandi species persequatur: sed vult tantum ostendere, sub quod genus hoc Ens concidat, ut cum à Philosopho, Propositio vel definitio aliqua Numeri petatur, ille per Organum logices, quodnam genus Numeri in definitione collocandum sit, aut quid de Numero dici queat, scire possit. Simile iudicium esto de Substantia, Qualitate, &c.

XXIV.

Vnde nullius momenti causa est, cur illi Prædicamenta ex Logica extirpârint, aut cur nos eo nomine κατηγοριῶν alicuius insimulent, cum longè alio modo aliq̄, respectu summa Entium genera in Logica, aliter in Metaphysica tractentur, cumq̄, non absurdum sit, vnam eandemq̄, rem à duabus vel pluribus etiã Scientiis tractari, modo ne vno & eodem modo & respectu tractentur.

XXV.

Categoriemata autem seu Prædicabilia cur à Porphyrio præmissa sint, ipse titulus libri satis docet, nempe ut sint εἰσαγωγικά, necessaria et utilia NOBIS ad Categorias rectius intelligendas, ut differentia Categoriæ inter se mutuo & ad alia fiat euidentior, & ut omnia simplicia ceu nominibus & notis suis certis, que simpliciter predicari, que subijci & predicari simul & quomodo possint, notentur, siquidem quicquid de aliquo enunciatur, vel ut species, vel genus, vel differentia, vel Proprium, vel accidens se habeat.

XXVI.

Nec est quod hac in Topicam conijcienda obtendant illi, cum toto celo distet, rem, ut Genus, ut Proprium, ut Accidens considerare, vel rem, que, vel Genus, vel Proprium, vel accidens est, tanquam Argumentum seu Terminum ex locis ad alicuius Propositionis constitutionem vel ad confirmationem Conclusionis adhibere: Ut differt si dicam, loqui, est Proprium Hominis, mox est Accidens, quam si conlusero, Petrum loqui, vel Petrum esse hominem, quia loquatur:

Petrum

Petrum esse compositum ex quatuor Elementis, quia moriatur, cum hoc illius cognitionem præsupponat, nec unquam quissiam Conclusio- nem, vel ex Proprio vel Genere confirmare sciat, nisi prius quid, vel Proprium, vel Genus &c. sit, peculiariter didicerit. Peculiaris ergo doctrina erit ipsa Prædicabilia explicare, & beneficio explicatorum Prædicabilium argumenta educere.

XXVII.

Qui verò utrumq. in Topica simul docendum & explicandum contumant, si ipsi contra naturam & definitionem Topica sua faciunt, utpote quæ tantum definiatur Argumenta suppeditare, non verò Ar- gumentorum Locum definire: ut hæc Definitio vel impropria sit, vel nimis stricta, vel doctrina Prædicabilium diuersa sit à Topicis.

XXVIII.

Sicut autem ad maiorem intellectum Prædicamentorum opus erat Isagoge Prædicabiliū, sic quig. alia adhuc doctrina opus erat ad doctri- nam Categoriarum, in qua differentia vocabulorum quæ cognitionis nostre symbola sunt, explicantur, quam Antepredicamenta vocant: nisi enim quis sciat quid Homonyma, quid Synonyma, quid Paronyma, quid dicta cum complexione, quid sine complexione, quot modis item ræōtia existant, & quomodo secundum latitudinem & longitudinem Prædicamenta consideranda sint, nunquam de Prædicamentis iudicare non ferre poterit.

XXIX.

Nec potuerunt nec debuerunt hæc omitti, cum aliàs Logicus Tyro in inextricabiles traduceretur errores, nisi de ijs præmoneretur, nec Grammaticalia ea merito crimentur, cum non omnes vocabulorum explicationes sint Grammaticæ, quandoquidem quævis Scientia suos explicet terminos, ut Mathematicus sua vocabula technica, Iuricon- sultus suas verborū significationes. nec ipsum etiam quod Gramma- ticus Homonymon & Synonymon dicat, hic Synonymon dicatur, nec quod Paronymon Grammatico, hic quoq. paronymon dicatur.

XXX.

Nam licet largiar, quod Homonymon Logicum, & Polysemon

Grammaticum idem sint, tamen in eo adhuc differentia est, quod Grammaticus in suis Polysemis non attendat, an Identitatis vel essentiae suae ratione aliquid commune habeant, an non, quomodo ve secundum unum vocabulum definitiones vel easdem vel diuersas habeant: Consideratq; Logicus & Grammaticus rem unam, sed non uno modo eodemq; respectu. Synonyma autem Grammatica & Logica qui idem esse dixerit, is profecto quid neutrum sit, intelligit. Grammatico enim Ensis & Gladius Synonyma sunt: Logico vero Bos, Equus, Simia, respectu Animalis Synonyma dicuntur.

XXXI.

Sic in Paronymis Casualem & Etymologicam tantum terminationem & derivationem Grammaticus obseruat: Logicus formationem & denominationem eam, quae fit secundum Naturam: Hinc Grammatico Fortitudo derivatur à Fortis: Logico vero vice versa, Fortis à Fortitudine. Logico enim Abstractum prius est Concreto, & talia vocabula Logico sunt ea, quae unum simpliciter non significant, sed subiectum cum Accidente concretè ad significant. Neque Coniugata ea sunt, quandoquidem non omnia coniugata Paronyma, neq; hic ut coniugata Topica considerentur: Et his prae monitis tandem ad Praedicamentorum doctrinam transcendit.

XXXII.

In calce autem Categoriarum, peculiarem quinque vocabulorum Homonymorum, ut:

1. Oppositorum
2. Prius
3. Simul
4. Motus
5. Habere,

explicationem subiunxit: ea nempe de causa, ut absolueret verum intel-

intellectum Prædicamentorum, & tanquam autographus commen-
tator multa, quæ paulò antè in Prædicamentis dicta erant, expli-
caret, cum horum vocabulorum in ijs sæpissimè facta esset men-
tio. Quibus consideratis, facile, quæ hîc obijciuntur, solvuntur:
Præcipuè, ad Inventionis Logicæ partem hac esse reijcienda: cum ne-
quaquam hîc considerentur, prout Conclusionum argumenta sugge-
rant, sed prout Prædicamentorum intellectui inseruiant, & hîc inculca-
mus, unam rem diuersis vnius Scientiæ locis considerari posse, modo &
respectu variato. Quòd porrò Aristoteles lib. 8, c. 7. & xg. tres tan-
tùm modos Prioris recenseat, hîc verò quinq., nullius inconstantia A-
ristotelem conuincit. Hîc enim tantùm docet, quot modis Prius dica-
tur, illic quot modis vnum Ens reuerà altero prius sit, quod magni est
discriminis.

XX XIII.

His igitur omnibus simplicium Notionum differentijs secundum
quas subiiciuntur & prædicantur, expensis, ad ipsam Enunciationem ex
his simplicibus terminis compositionem transgreditur: Quæ Enunciatio
cum per genus λόγος, Orationem, definienda esset, ut, quid Oratio esset
etiam intelligeretur, de Elementis Orationis, hoc est, Nomine & Ver-
bo pauca præmittit peculiari nimirum modo & respectu, qui ad hanc
rem erat necessarius, eatenus scilicet de Nomine & Verbo præcipiens,
quoad respiciant passionem animi, & prout sint ὁμοιώματα νοημάτων,
simulacra conceptuum, partes Enunciationum constituentia, ut benefi-
cio Nominis & Verbi Oratio Enunciatio ex Subiecto & Prædicato
conformetur. Quibus obseruatis facile ad Aduersariorum, quam hîc
obijciunt, ἐπιγορευεῖσιν responderi poterit.

XX XIII.

Rectius

XXXIII.

Rediūs autem Enunciata per Orationem quā per Dispositio-
nem definitur, cum hoc genus illo multò sit latius, & ob id remotius, ut
ex conuersione facile patebit. Dicere enim possum, omnem Orationem
esse dispositionem, non autem contra, omnem dispositionem esse Orationem,
quod ipsum nostra definitionis perfectionem, illorum imperfectionem
arguit.

XXXV.

In differentijs autem Enunciationum præter affectiones, quæ
ex Qua, quali, quanta sumuntur, de Finitis & Infinitis terminis, Fi-
nitis & Infinitis Enunciationibus non debet non fieri mentio in Logi-
ca. Dici enim non potest, inquam confusionem rudiores absq; harum
distinctione prelabantur: Nam præterquam quòd negatiuas Enuncia-
tiones dicent eas, quæ Affirmatiuæ sunt, & Syllogismos purè Affirma-
tiuos & bonos, purè negatiuos & falsos, nunquam duarum contradic-
toriarum naturam penitus intelligent. Pro eodem enim habebunt,
non esse hominem, & esse non hominem, quā pari passu propositiōni,
esse hominem, contradictoriè opponent ineptissimè. Huic doctrinæ in-
feruiunt quæ de Est primi, secundi & tertij adiecti ab Aristotele di-
cuntur.

XXXVI.

Adde quòd ad perfectam Enunciationum naturam Modi quicq;
quatuor, ut sunt Necessariū, Possibile, Impossibile, Contingens conside-
randi sint, diuersissimæ enim sunt harum Modificatarum consideratio-
nes & affectiones ab Absolutis: Inter cetera enim bene obseruan-
dum signa affirmantia vel negantia Modis addenda esse, aliàs fiet ut
due contradictoria de una & eadem resint vera, quod est absurdum:
ut fac contradictionem huius, Possibile est Petrum ambulare, erit non
possibile est Petrum ambulare: non verò hæc, Possibile est Petrum non
ambulare.

XXXVII.

Hoc Axioma ut falsum euincat Parisiensis, grande offert Sophisma:
scilicet Socrates est Leo necessario, & Socrates est Leo non necessario:
i quo regnam hanc fallere, nullamq; hic contradictionem esse, cum
vtraq;

utraq, simul falsa sit, proclamet: Fallit autem & fallitur, quòd dum
absurde huic Enunciationi (Socrates est Leo) Modum addat, eundemq,
per signum iterum neget, postea captiose falsitatem, qua ratione Mo-
di solius sumenda erat absq, complexione, ratione Enunciationis ab-
surda sumit cum complexione, & veritatem falsitatemve, quam
in & ex modo aestimare debebat, cum veritate & falsitate, qua in
Enunciatione per se absurda (Socrates est Leo) erat, confundit: qua-
tenus enim necessarium & non necessarium huic absurda Enuncia-
tioni additum absq, complexione sumitur, contradictio est manifesta:
Ut mutata forma locutionis patebit, Socratem esse Leonem est ne-
cessarium, Et, Socratem esse Leonem est non necessarium, aperte con-
tradictio, veritas & falsitas patet, qua in altera locutionis forma et-
iam erat, sed non tam evidens, & corrumpebatur ex ambiguitate re-
spectus.

XXXVII.

Adhuc manifestior erit contradictio, si pro Socrate α , pro Leone
 β sumatur; ut α est & necessario, Et, α est & non necessario, hic esse ne-
cessario & non necessario, aperte contradicet.

XXXIX.

Observetur etiam semper ex Hypothesi unampropositionem vel
veram esse vel ut veram poni, ut esto verum, quòd Socrates sit Leo
necessario, falsum erit, quòd Socrates sit Leo non necessario, cum longè
aliud sit, Verum vel falsum esse aliquid in se, & verum vel falsum es-
se aliquid in respectu.

XL.

Vnde manifesta redditur fallacia huius Sophismatis, quò factum sit,
ut utraq, propositio in adducto exemplo falsa & non contradictoria
esse visa fuerit. Ex quibus omnibus facile liquet veritas, utilitas
& necessitas (quod illi negant) omnium eorum, qua ad hanc doctri-
nam Modalium spectant.

XLI.

Querit autem Parisiensis, cur Aristoteles quatuor tantum Mo-
dos, non verò plures paucioresve elegerit, cum infiniti dari possint, si-
quidem omne Adiectivum subiecto vel predicato adiectum, id ipsum
C
modificet

modificet seu limitet? Sed sciendum, adiectiva alia praeter haec, descriptiones tantum esse subiecti & praedicati speciales, ex speciali rerum consideratione ortas, quae restringant Subiectum & Praedicatum ad certum aliquod genus Entis, nec immutent formam Enunciationis: hi vero Modi voces sint determinantes, quomodo Subiectum Praedicatum insit, cum mutatione formae Enunciationis, sintque limitationes maxime communes omnibus Scientijs, sumptae ex generali rerum conditione actus & potentiae: Aliter enim inest quod potentia, quam quod actu inest: & aliter quod inest actu, qui possit se aliter habere, quam quod inest actu, qui non possit se aliter habere: & aliter tandem non inest, quod neque actu neque potentia inesse potest. Unde hi quatuor tantum modi emergunt.

X L I I.

Ex Enunciatis seu Propositionibus Syllogismus componitur, qui est Ratio, in qua positus quibusdam, aliud quiddam praeter posita accidit & concluditur, ex necessitate, propter posita. Quam definitionem qui imperfectam dicunt, aliam dant, vocantque, Syllogismum Dispositionem, qua questio cum Argumento disposita necessario concluditur. Sed ut nostra non est imperfecta, sic nec haec perfectior, imo multis numeris imperfecta.

X L I I I.

Quod enim ad Genus attinet, dubium non est, Aristotelem λόγῳ, ῥατῖονη, Rationem, Ratiocinationem & Argumentationem genus Syllogismi ponere proximum & genuinum, ut pote quod disiusus τὸ ἐνωμεν constituat, non autem Dispositio. Quis enim non videt, τὸ τὰ ῥατῖονη, Dispositionem, consequi ipsam Rationem, & longe latius τὸ ῥατῖονη patere: quid enim non est, quod vel Dispositio vel Dispositum saltem esse dici queat? Et si conferantur haec duo genera, palam est, dicere me posse: Omnis ratio est Dispositio; non vero vicissim: Omnis Dispositio est ratio, unde Dispositio remotius genus erit quam Ratio. Nec obstat quod instant, Subijci haec verba (qua questio cum Argumento disposita &c.) nam, praecipuo illorum interprete teste, his verbis Differentia & forma Syllogismi declaratur, de qua nunc non agitur, sed de Genere saltem, quod illis dispositio, nobis Ratio ponitur, litigatur.

Deinde

Deinde, quod sequentia verba in definitione Aristoteleae veram differentiam specificam Syllogismi non exprimere dicant, inde fit, quod ea non recte intelligant: Instant enim venti incubuere mari. Crebris micat ignibus aether, Ergo necessario sequitur fuisse tempestatem. Sed hac in re non vident, quod id sequatur propter necessitatem materiae, non vero formae: Aristoteles autem in definitione sua loquitur de necessitate formae, dum se expresse refert ad θέσις τινῶν, & τὸ κείνη τινῶν, quod de translocatione Propositionum in certam formam & figuram accipiendum esse nemo non intelligit: Vnde & 1. Topic. pro his verbis (τὸ ταῦτα εἶναι) ponit verba: διὰ αὐτὴν κειμένων: ut monstret ἀνάγκη τὸ κείνη vel τῆς θέσεως, id est, legitimam terminorum & propositionum Dispositionem, quo animaduerso, instantia allata nullius est momenti.

Sub vocabulo autem λόγος, ut & reliquis in Definitione positis partibus, haud obscure indicat, non tantum quod in Syllogismis à notis ad ignotiora progrediendum sit, sed & ad Basim & radicem totius artificij Argumentatorij se reuocat, nimirum ad Dici de Omni et de Nullo. Illud quando nihil est sumere Subiecti, de quo alterum non dicatur; Hoc quando nihil est sumere Subiecti, de quo alterum non remouebitur, ut in illo fundentur Affirmantia, in hoc Negantia.

Et haec principia Logica ex naturali illa luce mentibus hominum à Deo insita dependent imò αὐτόπιστα sunt & summa, ex quibus demonstrari potest omnium ratiocinandi necessitas, qua nimirum aliquis naturali instinctu naut, si velit aliquid concludere, & ex alio colligere, sumi debere id quod generalius sit latiusq; pateat eo quod vult subsumere, & postea sub complexum illius supponendum aliud

minis late patens, unde oriatur conclusio. Hoc verò unicum Anima est, ut sic loquar, Syllogismi, cuius cum in illorum Definitione Syllogismi, nulla facta sit mentio, nihil minus quam pro vera & perfecta definitione habenda est.

XLVII.

Nec, ut illi putant, ex Logica hac exstirpanda sunt: ni enim causa reddatur, unde hac Collectionis vis deducatur, ipsumque $\delta\iota\omicron\tau\alpha$ monstretur, nihil profectò ea in re sciri poterit, semperque mens extraneis in perpetua $\alpha\pi\omicron\sigma\iota\alpha$ et $\delta\omicron\epsilon\alpha$ fluctuabit, cum scire sit rem per causas cognoscere, & cur hac res certò sic se habeat videre.

XLVIII.

Partes Syllogismi sunt, duæ Præmissæ propositiones, Maior & Minor, tertiâque Conclusio: quæ in suos terminos diuiduntur, Maiorem, Minorem & Medium, ex quorum terminorum varia ad se invicem translocatione tres secundum dicta Principia Syllogismorum oriuntur Figure: quarum prima habet Medium in Maiore pro subiecto, in Minore pro Predicato: In secunda Medium in utraq, predicatur: In Tertia Medium in utraq, subicitur.

XLIX.

In his Figuris, quæ priori loco ponenda sit, etiam controuertitur. Cur autem Aristoteles Primam nobis Figuram, primam fecerit, non est obscurum: cum enim Syllogizandi vis immediatè ex principijs Dicit de omni pendeat, & primò illa vis seu forma actu in prima figura pateat, & ad oculos sit evidens, ut quod directè à notioribus absolute ad ignotiora progrediatur, Mediumque $\theta\iota\sigma\alpha$ & $\phi\upsilon\sigma\delta$ habeat, rectè fecit Aristoteles, quod ei primum locum assignarit, ei que reliquas duas subiecerit, ut pote quod absolutissima sit, cui consequentiæ perfectio, euidencia generalitas & dignitas hunc locum tribuat. Cum autem in confesso sit apud illos ea semper priori loco ponenda esse, quæ simpliciter sint generaliora & naturè notiora, Ergo eo ipso contra se concludent, non Tertiam primam, sed primam nobis primam faciendam esse.

L.

Leuis verò obiectio est, quam afferunt, eam primam esse debere,

cuius



cuius Dispositio Medij sit simplicior, in Prima autem nostra Dispositionem esse & antecessionis & consecutionis, in Secunda verò Consecutionis, in Tertia Antecessionis, Tertiam ergo Primam faciendam & Primam Tertiam. Quid verò quaeso hinc insignis simplicitatis, quod Medius Terminus vel saltem antecedit vel saltem consequatur, vel simul & antecedit & consequatur? Nulla hinc simplicitas, nulla hinc duplicitas, cum nimirum antecessio & consecutio non geminet terminum medium, sed Medius terminus in omnibus tribus Figuris sit unus, etiam si bis efferatur. Si ergo Medius terminus bis efferatur, siue ut utring, antecedit, siue ut utring, consequatur, siue ut semel antecedit, semel consequatur, est & manet unus terminus Medius, simplex, & nequaquam illa prolatio seu antecessio & Consecutio vitiat vel variat Figurarum simplicitatem. Et quererem ego, cur secunda Figura praeter Tertia non sit facienda Prima? An antecessio simplicior est consecutione? An verò, quia Terminus Medius in dispositione, ergo hac Figura prima est facienda? Si hoc affirmatur, eodem modo Secundam ultimam faciendam esse dixerim, ideo quia terminus Medius in Dispositione ultimo sit loco, ut vel hinc appareat φιλαυτιλογία illorum hominum in Aristotelem.

L I.

Cum verò paulò antè dictum sit, aperte in primâ Figura Principia Syllogistica conspici, actûq; in ea inesse, facile colligitur in reliquis Figuris tam aperta ea non esse, sed potentia saltem, ut eleganter Averroës dixit: ut ergo harum Figurarum consequentia manifestiores fiant, Reductione opus habent iâ Ostensiva quam per Impossible, ut & ἐνδείξει, non quod hæc Figura suam Consequentia Necessitatem non habeant, sed quod non habeant eam tam manifestam & euidentem. Reductiones eæ absq; Conuersionibus fieri nequeunt, unde & Conuersionum ratio erat docenda.

L II.

Nec obstat quod hinc nobis obstrepunt Definitiones non demonstrari,

strari, sed tantum τὸ ὄν intelligi, ideoq; illam Syllogisticarum defini-
tionum doctrinam non esse demonstrabilem, nec ideo vlla Principia, vl-
las ἀντιστοφᾶς, ἀπαγωγᾶς, ἐκθέσεως, ἔναγωγᾶς, requirere: Cum non
videant Syllogismi definitionem, quatenus Noëma est, definiri tantum,
non demonstrari, sed Artificium discurrendi, cur Consequentia sit bona,
ἔαν procedat ex lucis natura norma, quod Syllogismi continent, illud
scilicet demonstrari ab eo, qui rem per causas velit docere, manife-
stum est.

LIII.

At quod principia omnia Metaphysicum demonstrare innuunt,
ἔob id hæc duo, de Omni ἔ de Nullo, ex Logica exterminanda, non per
omnia conuenit: verum enim quidem est, Metaphysicū Principia de-
monstrare, verum item, eum quoq; hæc duo principia demonstrare lib.
s. c. 3. sed quòd ideo ex Logicis exterminanda omnino sint, non sequi-
tur, cum Logica ea ut demonstrata alibi sumat, ἔ ex his sua deducat.

LIV.

Ad formalem porrò Syllogismi γένεσιν, ut propositum nostrum pro-
bemus, conducet Medys ἔ propositionibus P non tantum abundare, sed
ἔ viam ἔ rationem expeditam scire promptissimè, ex delectu Con-
sequentium, Antecedentium ἔ Repugnantium, Media apta ἔ idonea
inuenire, ut quacunq; Questione probanda data, ἔ Medys ad eui-
cendam questionem datis, Forma statim, in qua Syllogismus componi,
ἔ Conclusio colligi queat, manifesta sit. Hanc doctrinam Scholastici
Pontem Asinorū vocarunt. Est q; hæc doctrina licet difficilis, pulcra ta-
men, utilis ἔ necessaria, nec ad Inventionem Topicam reijcienda,
cum non de Materia Inventionem hic agatur, sed de Materie inuenta
expedita inuentione formali Syllogismorum.

LV.

Sicut autem Inventionem hanc Syllogismorum, ita ἔ Analysis
eorundem in quacunq; oblata Argumentosa Oratione statim resolucenda
tradidit Aristoteles, ἔ insignem in hoc tractatu Manuductionem
aperuit, quomodo constituta quadam Oratio Argumentosa resolui, in
sua

sua membra diuidi & iudicari: quomodo principale propositum primò
cognosci: quomodo eius probationes examinari: quomodo Termini &
Propositiones partiales ab uniuersalibus, Finitæ ab infinitis, Mediatæ
ab immediatis, determinatæ ab indeterminatis distingui, vera à fal-
sis, aliena à proprijs separari debeant, ut vel hic solus Tractatus Ari-
stoteleam Logicam, quasi quæ nullum usum in explicandis & resolu-
endis Autoribus prabeat, vindicare possit.

LVI.

A Syllogismo autem perfectissima Argumentandi forma, alia
quædam forme deficiunt, ut sunt ἐπαγωγὴ, πιασὰ δ' ἔγγρα, ἀπαγωγὴ, In-
stantia, Enthymema, quibus secundum quosdam addi possunt Syllogis-
mi Disiunctiui & Hypothetici, Sorites & Dilemma, quæ sic tamen à
Syllogismo deficiunt, ut simul cum ipso cognatæ sint, totumq; esse Ne-
cessitatis suæ ratiocinativæ à Syllogismo trahant.

LVII.

Cur autem deportatæ & exclusæ sint hæ (duabus exceptis) Ar-
gumentationum formæ à Logica, hanc afferunt rationem, quòd non
opus sit tot formis, cum solo Syllogismo possit absolui, & quidem melius
tota Argumentatio: Quæ ratione non Aristoteli, sed omnibus omnium
temporum Sapientibus bellum indicitur, cur illi non semper Syllo-
gismis, sed aliquando Enthymemate, aliquando Inductione, & reli-
quis formis uti sint, aut adhuc utantur. Fit autem hoc inde, quòd cui-
uis Syllogismo non tam expeditè pateat quævis Conclusio, & quòd sæpe
breuitati, necessitati, concinnitati studeatur, & reliquis commoditati-
bus, quas singule species secum afferunt.

LVIII.

Quod verò de Inductione & Exemplo afferunt, Argumenta ea
tantum esse non Argumentationis formas, falsum: nam hoc loco, quas
materias ex quibus locis recipiant, nullo modo attenditur, sed forma
eorum, prout se ad Syllogismum habeant, et quomodo earum vis conclu-
siva

sua ex Syllogismo dependeat, docetur, quod evidens ex earum defini-
tionibus esse potest in Aristotele: definit enim Inductionem, quando
minore extremo probatur maius extremum de medio. Exemplum,
cum maius minori & medio inesse probatur, per quoddam simile ter-
tio, & notius minori, &c. unde luce meridiana clarius est, quid Ari-
stoteles in his speciebus consideraverit, & qua sit cuius, nova à sese &
ab alijs diversa forma, quidq; in ijs peculiare sit, quid commune. Simile
iudicium esto de reliquis. LIX.

Hac communi Logices parte sic hæcenus explicata, ad pro-
priam descendit Aristoteles, in qua cum forma Materiam ipsam quoq;
attendit, cuius evidentissima diversitas ea est, quod alia Apodictica
sit, alia Dialectica: unde & ea omnia, quæ hinc constituuntur, eui-
denter erunt diversa: nam quæ demonstratiue sunt necessaria, Scien-
tias propriè sic dictas parient, quæ Dialectica Artes. Nequaquam
autem si quis rectè sanus sit, hæc duo inter se confundi posse, facile in-
telliget, nisi vera cum verisimilibus, Necessaria cum Contingentibus,
Opinionem cum Scientiâ confundere velit, modo Naturam tñs ἀπο-
δεικτικῆς sibi perspectam habeat, & quæ propositiones Demonstratio-
nem capere, quæ non possint, didicerit.

LX.

Propositionum harum Symbola & Notas tres ponit Aristoteles,
1. ἢ ἄνωγε, ut quod sit non in aliquo quidem, in aliquo verò non, nec
aliquando quidem, aliquando verò non 2. ἢ ἄνωγε, cuius 4. sunt modi:
1. quod propriè inest definitioni subiecti. 2. Quod si definiatur subiecto,
de subiecto dicatur ut propria. 3. Quod ipsum sit subiectum & de sub-
iecto nullo dicatur. 4. Quod necessariò inest subiecto, propter causam
quam habet. 3. καὶ ὅλας πᾶσι, quæ omni & per se & quia ipsum in-
sunt, unde oritur reciprocatio. Quarum si vel minima conditio desit
in propositione, alienam eam esse à Demonstratione verâ, statim de-
ciditur.

LXI.

In quibus primò calumniose faciunt, qui Demonstrationem com-
mentum horribile, item Beluam vocant, cum nolentes volentes
concedere cogantur, propositiones illas, in quibus hæc conditiones obser-

uata

erat & sint, toto cælo distare ab ijs, in quibus hæc non habeantur: nec idem esse, Omnis coruus est niger, Et, Omnis paries est niger: cum in illo sit coniuncta perpetuitas temporum, in hoc minimè. Et quis idem esse dixerit, Petrũ, quia homo, sentire, Et, Petrum, quia animal, sentire, cum hoc καθ' αὐτὸ insit, illud propter aliud. Quis uero eiusdem ἀκρίβειας dixerit, Homo est Animal rationale, & Homo est Animal, cum illud recipitur, hoc minimè? ut refutatione egere non videatur, qui ἀπορδεϊκτικὰ ab ἐνδόξοις nequeat distinguere. Qua de causa multi illum virum, aliàs non indoctum, seriò hæc noluisse iudicant.

LXII.

Hinc & illorum error quoque manifestus est, qui καθόλου Prioristicum cum Posterioristico confundunt: multa enim uniuersalia esse possunt, prout uniuersalitatem Aristoteles in Analyt. prior. accipit, quæ simul non sint vel ἢ τὸ αὐτὸς, multò minùs καθόλου πρῶτα.

LXIII.

Vnde nec illi per omnia ferendi sunt, qui quarumlibet disciplinarum præcepta ἢ τὸ αὐτὸς, καθ' αὐτὰ, & καθόλου πρῶτα esse dicunt, cum non nisi in Scientijs ex vera demonstratione dependentibus, ea locum habeant, cum propositiones Artium sint rerum contingentium, ab hominibus saltem inuenta, omnis perpetuitatis expertes, nedum ut omnes omnium disciplinarum propositiones per se insint, & ex æquo recipi possint, nec dum adhuc talis Ars data est. Vt sint Regule: In A fæminina sunt &c. quæ prioristicè nondum uniuersalia sunt, nedum ut hæc conditiones admittant.

LXIII.

Qui uerò ad hanc uniuersalitatem Analogiarum tuendam Anomalias addendas iudicant, ut καθόλου vel ἢ τὸ αὐτὸς compleatur, ἢ profectò nec quid καθόλου, nec quid ἢ τὸ αὐτὸς sit, intelligunt, vel intelligere nolunt: nam cum nego τὸ καθόλου regula: Omnia nomina in A esse fæminina, tu uerò ad euincendã illius uniuersalitatẽ addis, Arma, Pœta, quæ excipiuntur, tunc tu ad eol non astruis ipsam Analogiam, sed destruis magis: quò magis enim affers contraria exempla,

D

Con-

Contingentiam eò magis eiusdem astruis, necessitatem & vniuersali-
tatem destruis, cum Masculina & Neutra ad Fœmininum addita in
vnâ Propositionem nunquam coalescere possint, vnâq; Propositio-
nem de eadem re generalem concamerare minimè queant.

LXV.

Maxima verò eorum audacia est, qui insuper has tres conditio-
nes, Leges Ordinis Doctrinae (quem Methodum dicunt) faciunt,
quarum illa Lex veritatis, necessitatem & generalitatem: ista Lex
Iustitiae, Homogeniam Artium: hæc sapientiae Homodiam exigat, & tau-
tologica rejiciat: quarum omnium ne quidem est in Aristotele, ubi
has tres notas tractat, ut nec iustè, nec sapienter, nec veraciter has Le-
ges Aristoteli affectas esse, omnes Peripateticorum Schola quiritur.

LXVI.

Vnde colligi potest, supposititias esse has Leges, & nullo modo A-
ristotelicas dicendas, ut facile videri queat, quia sint ea, quae toties A-
ristoteli obijciuntur, Aristotelem ex Aristotele refutari, quando Ari-
stotelis scripta omnia ad has tres Leges reuocantur. Quod autem et-
iam Peripateticorum quidam hodie sua peculiari quadam ratione has
tres Apodicticas propositionum notas ad conformandum ordinem do-
ctrinae applicent, nunc non tangimus, dicemus ea de re suo tempore, ubi
ex professo de Methodo, Deo dante, acturi sumus. Nunc sufficiat admo-
nuisse, Aristotelem de ijs ne somniasse quidem, cum in hoc loco ageret
de καὶ πάντες, καθ' αὐτὸ & καθόλου πρώτων.

LXVII.

Addendum verò hoc vnicum de vnitae Scientiarum, siue de re-
bus Homogeneis in vna Scientiâ pertractandis caput 23. poster. Ana-
lyticorū, ex quo rectè peti potest, quid sit (ut cum illis loquar) Scienti-
as ad Legem καθ' αὐτὸ examinare, siue in quibus vera consistat vnius
Artis Homogenia, quid ve rectè proprium, quid alienum in aliqua Sci-
entia dicatur, quae omnia nos vni Axiomati inclusimus, nimirum: Vna
sci-

Scientia est, quæ unū habet Subiectum uno modo consideratum, quæq;
eiusdem Subiecti affectiones, eiusdem species, & quidem species spe-
cierum & contraria considerat. Quicquid ergo scripsit Aristoteles, ad
hanc trutinam referatur, in quam quicquid non impegit, id Homo-
geneum, & non Heterogeneum, esse illi disciplina, intrepidè conclu-
datur.

LXVIII.

Ab his Propositionibus Apodicticis longo interuallo absunt proba-
biles, quæ videntur omnibus aut pluribus aut sapientibus, aut sapien-
tibus omnibus vel plerisq; vel præcipuis consentanea, de quibus licet
dubitare, quibus & contradicere licet: quarum considerationem Ari-
stoteles duabus partibus includit: Primò de Theoria, secundo de
Praxi. In Theoria quidem Locorum numerum ex numero questio-
num probabilium haurit, quæ quatuor tantum sunt, Accidentis,
Proprii, Generis & Definitionis, quibus reliqui Loci specialiores ab A-
ristotele includuntur, & quò reliqui facile referri possunt.

LXIX.

Insigne autem est in hac parte Aristotelea Logica, quòd sic hos
locos pertractet, ut simul præcepta seu axiomata quedam generalia
prescribat, ex quibus varij modi disci possint, quomodo ex illis attri-
butis Medium petendum sit, & propositionum probabilium εὐπορία
locuples comparari queat, quarum usus in colloquio Disputatorio oportu-
nè tam ad austruendum quàm ad destruendum esse possit.

LXX.

Variè autem à multis Doctrina Topica pertractata est, quo-
rum ij, qui operam in explicando & exegeticè euoluendo Aristotelem
collocarunt, laudem communem habent cum omnibus Interpreti-
bus Aristotelicis: quod si verò laudem Aristoteli hac in re debitam
omnino præripere velint, sibiq; ipsis τολμήσιν doctrina huius
asscribere

asscribere, ij non tantum laudē ea, quam venantur, excidunt, sed & eam, quā habent, amittunt, cum nemo aptius & conuenientius Topi-
cam ad Artificium τὸ διαλέγειν & idoneam conscripserit, quam Ari-
stoteles.

LXXI.

In Praxi per totum Caput ultimum occupatur, in quo instruit
duas Personas, quarum est Disputatio, Opponentem scilicet et Respon-
dentem: multum enim refert, plurima argumenta non tantum habe-
re, sed recte etiam ea in proponendo & assumendo adhibere posse,
ubi multum interest Disputantiū mores nosse, cum tela prauis miris
noceant: quos dum depingit Aristoteles, non proteruiam, pertinaciam
et petulantiam docet, sed potius notando illa vitia, quomodo ea cauere de-
beant & possint, monet, ne Veritas falsa victoria opprimatur: At qui
Rhetoricam partem Elocutionem hinc doceri autumat, & omne τὸ εἰπεῖν
πρὸς ἕτερον, ex Logica ad Rhetoricam transmittendum iudicat, is o-
mni munere disputandi, quod ἐν τῷ διαλέγειν, seu, ἐν τῷ εἰπεῖν πρὸς
ἕτερον consistit, Logicum priuabit, Absurde.

LXXII.

Porro cum in ἐνδοξοῖς non omnia sint ἐνδοξά, sed plurima etiam
φαινομενικά ἐνδοξά, de his peculiariter agere & admonere debuit Ari-
stoteles, nisi subiectum hoc Logicum inexplicatum (quod mutili esset Lo-
gici) relinquere vellet: nam quam verum est, res quasdam in Natu-
ra reuera tales esse, quasdam autem tantum tales apparere: tam ne-
cessarium & est Logico, res eas quae reuera tales non sunt, sed videntur
saltem esse, persequi, cum Contrariorum eadem sit scientia.

LXXIII.

Abscinditur autem ab Aduersariis hoc membrum doctrinae, quod
sophistica Vitiatorum doctrina non sit Homogenea doctrina virtutum,
sed explicatis Virtutibus vitia inde contraria percipiuntur, unde o-
mnia ea non tantum ex Logica, sed ex omnibus scriptis Aristotelis exter-
minanda censent, quae vel falsas opiniones refellunt, vel modum eas
refellendi (ut hic sit) praescribunt.

LXXIII.

Qua sua Ratione, si vniuersaliter vera esse debeat (ut esse debet,

β

si quid sub ea subsumendum sit) non soli Aristoteli, sed omnibus omnium
Ordinum sapientibus frenum iniungunt, & Theologos quidem &
Ethicos iubent virtutes saltem astruere, vitia non taxare, veram do-
ctrinam tantum defendere falsam non refutare: Politicos & Legis-
latores iubent tantum quid faciendum sit, edicere, non quid omitten-
dum aut cauendum: Medicos si de Pharmaceuticis herbis modo docu-
erint, de Venenis nihil habere quod doceant, si de sanitate constet, de
morbis morborumque figuris nihil esse docendum: Philosophos, si veram
suam sententiam astruunt, contra Democritum, Leucippum & Pytha-
goram, & reliquos omnium temporum Sophistas agendum non esse: nec
omnino opus esse, quandoquidem explicatis Virtutibus vitia inde con-
traria percipiuntur, explicatis veris falsa statim concidant.

LXXV.

Qua in re tamen Aduersarij nostri aliter sentiunt, aliter faciunt,
nam si hoc omnino verum est, cur non tantum suam doctrinam astru-
unt, sed et contrariam Aristotelis refutant? Astruerent illi suam saltem,
alia per se concideret procul dubio.

LXXVI.

Nec obstat, quod hic instent & dicant, in Artibus non licere, a-
libi licere, & duo esse librorum sui Principis genera, alia Didascalica,
alia Elenctica seu Eristica: eo ipso enim sententiam hanc nostram
confirmant, nimirum genus doctrine Didascalicon absque Elenctico
non constare, siue, in docendo non posse obtineri finem veri, qui specta-
tur, nisi is refutando muniatur, simulque falsa quae nocent, remoueantur.
Siue ergo Autor ille peculiariter in scholis suis agat Eristicum, &
in Didacticis Didacticum seiunctim, siue Aristoteles rem per caus-
sas docens, coniunctim & doceat vera, & refutet falsa, susque deque est,
utringue enim firmum manet, non fieri, ut solis virtutibus explicatis, &
veris astructis, vitia simul percipiuntur, & falsa destruantur.

LXXVII.

Nec adhuc firma est data ratio, cur in artibus tradendis non
liceat falsum refutare, alibi liceat: Nam si in vniuersum verum est,
Veris astructis falsa corrumpere, nec in artibus nec alibi licebit refu-

tare contraria. At si in uniuersum verum nō est, veris astruētis falsa
corruere, iam idem in Artibus atq; alibi valebit. Data enim Vniuer-
sali, quauis eius pars subsūmi potest.

LXXVIII.

Sciendum ergo, κατὰ τι verum tantū esse, ut astruētio veri, fal-
si sit destruētio seu cognitio, nimirum quōd Contrarium ex opposito tan-
tū elucescat συγκεχυμένως, confuse, ἐν τῷ πλάθει, aliquo modo, ἔ-
δωκέμεν seu potentia: Non verò ὅλως, καὶ ἀκριβῶς, per omnia, ex-
actè ἔρατῳ ipso, nisi id ipsum peculiariter euoluatur ἔ expluetur, ut
in exemplo patebit.

LXXIX.

Sciam ego quid sit 1. Recta linea, 2. quid sit Rectus angulus.
3. omnia ἑυθυγράμματα, eorumq; affectiones, tunc non ignorauero per
ἐφαίρεσιν τῶ ἐναντίων, quōd quadam linea sit non Recta, quidam an-
guli sint non recti, quōd quadam Figura sint non ἑυθυγράμματα:
constabitq; mihi quid non sint, non verò quid sint, nec dum verò consta-
bit, quōd non recti seu obliqui Anguli, alij sint acuti alij obtusi: Nec
dum constabit mihi de Affectiōibus earum Figurarum, quae non sunt
Rectilinae, ut Figurarum ex Rectis ἔ Curuis mixtarum, circulo-
rum ἔc.

LXXX.

Vnde perspicuum est, rectè Aristotelem non tantū fecisse, ut
Contrariorum tractationem ἔ refutationem in suis scriptis institu-
erit, sed ἔ ἔργον, Modum refutationum Sophisticarum in Logica sua
tradiderit: non ut ijs contra Veritatem, sed pro Veritate defendenda
uteremur: quo nomine, ut ἔ pro toto hoc Opere Organi et scriptis re-
liquis ARI STOTELEM tota antiqua Vetustas apud Arabes, Grae-

os & Latinos semper ut Patrem & Principem Philosophorum coluit,
iusq; scripta diligenter evoluit & confirmavit, quos omnes unâ cum
Aristotele tantorum errorû, Repugnantiarum falsitatum, commento-
rum, & horribilium Sophismatum insimulare, non arrogantia
tantum, sed extreme est dementia, ut gravissime
alicubi i. scheckius pronunciauit.

ਅਭਿ ਨਿਭੇ ਸੰਕ੍ਰਮ.



AB 180 874





AB 180874


ULB Halle

3

002 380 234







DISPUTATIO
DE PRÆCIPVIS LOGI-
GICÆ ARISTOTELEÆ PARTI-
BUS, QVAS ORATOR QUIDAM
Parisiensis Scholis suis in-
sectatus est:

M-s. 168

Quam,

DEO TRINVNO AVSPICE:
PRO ARISTOTELE

Sub Præsidio

M. DANIELIS CRAMERI RETZENSIS
Neomarchici,

*In Illustrissima Vitebergensium Aca-
demia defendet*

OLIGERVS ROSENCRANTZ, GEORGII
F. Nobilis Danus.

*Erit Disputatio ad diem 12. Ianuarij, in Auditorio majori Collegij
novi, hora VII. matutina.*



o. Lp.

VVITEBERGAE,
Excusa typis M. Simonis Gronenbergij.
c 13. 13. XCIII.

M. W. #

308